

cum a mala conscientia ad naufragium fidei proclivis sit gradus *I. Tim. 1, 19.* & ceu Thomas inquit, peccata viam parant seductioni. Quod ut hodiernum multa exempla comprobant, ita *Chrysoſtomus* ejusque sequaces utrumque conjungere videntur, dum ita explicant Apostoli dictum, quasi dicere velit: *Mulieres peccatis onustas adeo non exonerant & a peccatis liberant, quamvis id promittant, quin etiam captivas ducant ac majori servitute gravent.*

§. *XX.* Firmiter vero posterius stare Apostolus nobis persuadet, quando status illarum causam ita tangit, ut ἀγόμενα Ἐπιθυμίας ποικίλης, *variis ductas desideriis, variis cupiditatibus exagitatas & concussas* nominet. Quæ interpretatio Græco ἀγόμενα apprime convenit. Cum enim *Estio* teste verbo hoc Apostolum uti Græci interpretes notent, tanquam de brutis, quæ ratione carent, & aguntur potius quam agunt, loquatur, facile constat, recte illas *variis cupiditatibus atque desideriis exagitatas* dici, quæ brutorum more ducuntur agunturque potius quam agunt, & affectibus suis, quos moderari nesciunt, ad varia peccata impelluntur.

§. *XXI.* Ipsas etiam cupiditates, quibus abreptæ sunt mulierculæ, non ad illas tantum, quæ sexus sui sunt, restringit *Grotius*, sed & rapacitatem, luxum, superbiam ipsis attribuit, idque ex *MSto* quodam codice probatum est, quem distinctius habere tradit Ἐπιθυμίας καὶ ὑδονῶς ποικίλης. Quod facile illi concedere & cum *B. nostri Baldwini* sententia conjungere possumus, qui ad præcipuas mulierum concupiscentias respicit & desideriis maxime novitatis, curiositatis, gloriæ, deliciarum agitari ducit.

§. *XXII.* Quæcunque vero ab Apostolo intelligantur concupiscentiæ, utrisque hæresin facile imbibunt eamque ad alios transmittere audent. Primo enim variis hisce cupiditatibus agitatae levis sunt & inconstantis animi, nova nimis sectantur,
quævis